



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 177. Tunc dimisit illis Barabbam. v. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

sed ò utinam omnia corda hominũ converterentur ad te & desiderarent totis visceribus iustitiam tuam magna certe felicitas esset, nil velle aut cupere præter te & iustitiam tuam, sed & hoc non fieri universim tolerabile esset, at in peccatis ipsius excusationes Pilatinis similes nos indies pangere & compingere, hoc unum est oculis tuis indignissimum, nobis vero miserimum. O Deus, succurre,

§. 176. *Et respondens universus populus dixit: sanguis eius super nos & super filios nostros. v. 25.*

Vix Pilatus innocentiam Christi, & iustitiam eius coram tribunali exposuerat, quin statim interromperetur per populi universi impetuoso clamore, quod potius mallet pati, dissipari, annihilari, quam ut Iesus non traderetur morti, per verba sanguis eius super nos & super filios nostros. quasi dicerent: Culpa æque ac vindicta sanguinis Iesu, à te, ò Pilate, effundendi, quæ tu vereris, Deo vindice à te transferantur in nos, & filios nostros, ut si quæ hic sit culpa, illam nos cum posteris luamus, nullam enim agnoscimus, ac proinde nullam timemus vindictam, quare illam in nos audacter accessimus et si nos non sumus sufficientes numero vel viribus, ad portanda ista, ecce obligamur & assumimus posteros nostros omnes nobiscum. O miser! quid precamini vobis & filiis vestris? an ignoratis potentiam sanguinis huius & pretium? sanguis ille super pretiosa quæque mundi pretiosior est, una gutta exsuperat omnes thesauros cæli & terræ in pretio: potentia ignoratis? fortior est omni spiritu, vivit & vivet in æternũ: sicut est infinitus in pretio, ita infinitus est in potentia & fortitudine, neq; eius potentia neq; virtus minuetur unquam, hic quidẽ effunderetur in vindictam malorũ, præmium vero honorũ. Quid igitur appetitis portare eius fundendi vindictam, & non magis salutem, non est missus ut iudicet mundum, sed ut salvetur per ipsum. vere populus stultus & insipiens es tu, nescis, quid peras, aliter post 42. annos loqueris, cum Vespasianus aderit cum Tito vindex, & uti prædixit Daniel c. 9. usque ad consummationem & finem mundi perseverabit desolatio tua.

Deus fortis & potens, & cuius misericordiarum non est numerus, sit obsecro hic sanguis tuus tam pretiosus aliter super me, quam super Iudæos. nempe super me per honorem & adorationem in calice, & magis in me per sumptionem seu communionem in protectionem, defensionem, & salutem, in solutionem debitorum infinitorum apud æternum patrem tuum.

§. 177. *Tunc dimisit illu Barabam. v. 26.*

Post longam disceptationem pro & contra Christum habitam, victus à populo, & deceptus à seipso Pilatus maxime, quod oranem Pilati iniustitiam

tam peccatum & pœnam in se recipere vellent Iudæi, dimittit illis Barabbâ, qui interpretatur filius patris nempe homicidarum, & feditiosorum, qui est diabolus, vel certe filius patris per antonomasiam, quod eum pater suus valde indulgenter educasset, & sic in insignem latronem evasisset, uti solet fieri in molliter educatis, qui communiter solent esse corruptissimi.

Quanta est fragilitas humana! etiam inter magistros, & prudentiores mundi. Exemplum nobis hic est ipse Pilatus, vir alias doctus, prudens, iustitiæ amans & quidem Romanus &c. victus spe præmiorum, timore Iudæorum obliviscitur iustitiæ, transit ad iniquitatem, flebitur ad petitionem inimicorum, dat liberum latronem iniquum & feditiosum, servat puniendum salvatorem & virum iustum. O iniquitas! Domine obsecro fragilitati meæ succurre semper auxilio tuo & gratia, ne unquam transeam ad iniquitatem tantam, ut velim operari iniustitiam ad cuiuscunque petitionem vel instigationem; sed continuo amem id quod iustum est & faciam. sed & Domine Deus succurre parentibus in educatione prolium suarum, aufer ab eis cor indulgens, cor Heli, cor dissimulans peccata filiorum suorum, & da eis vultum severum, & manum fortem, ut heroice, & prudenter educant proles suas, ne habeamus novos Barabbas in terra.

§. 178. *Iesum vero flagellatum tradidit eis. v. 26.*

Hic tandem diabolus per gradus sensim Pilatum eo perduxit, ut manus in Christum inijceret crudeles manus, inquam Tyrannicas, in eum, quem toties excusavit, & quod peius est etiam flagellatum tradidit eis, nempe inimicis.

O Domine nolo hic multum hæere in tui virginis corporis denudatione, alligatione ad columnam, verberatione, ista me nimis terrent quia singula abique alio sunt grande tormentum, denudatio pudorem, alligatio dolorem, flagellatio utrumque, cecebat, apud Romanos vile supplicium servorû. Ergo ut servus tractatur Dominus dominantium? & tam crudeliter? ut teste S. Birgitta in suis Revelat. ictus Domino impacti sunt omnino 6666. velut alii sine repugnantia aiunt, 5475 & hi omnes super nudum & virgineum corpusculum ceciderunt. Et quare denudari voluisti? mi Iesu, ut fœdam illam nuditatem quam Humano generi peccatum Adæ induxit, punirem in memetipso, sic enim per peccatum nudatus est homo Dei gratia, & remansit fœdus & abominabilis plusquam nudus homo. Cur instar pecudis mactandæ ligari voluisti? Domine, cuius manus illimitatæ sunt? ut absolvere te ô homo à vinculis peccatorum, quibus ligatus eras, velut victima destinata ad macellum æternæ damnationis. Et cur ita. præter morem